



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Aelii Lampridii Commodvs Antoninvs. Ad Diocletianvm Avgvstvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

COMMODOVS AN- TONINVS

A D D I O C L E T I A N V M
A V G V S T V M.



DE COMMODI ANTONINI parentibus, in uita Marci Antonini satis est disputatum. Ipse aut natus est apud Lanubiū cum fratre Antonino Gemino, pridie Calen. Septemb. patre, patruoq; COSS. ubi & auus maternus dicitur natus. Faustina cū esset Commodo cum fratre pregnās, uisa est in somnis serpentes parere, sed ex his unū ferociorē. Cum autē peperisset Commodum atq; Antoninū, Antoninus quadrimus est elatus, quē parem astrorū cursu Commodo Mathematici pmittebant. Mortuo igitur fratre, Commodū Marcus & suis praeceptis, & etiā magnorū atq; optimorū uirorū erudire conatus est. Habuit literatorē Græcum Onesicratē, Latinū Capellam Antistiū. Orator ei Atteius Sanctus fuit. Sed tot disciplinarū magistri nihil ei profuerūt. Tantū ualet aut ingenij uis, aut eorū qui in aula institutores habētur. Nam à prima statim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoq; pollutus & constupratus fuit. Iam in his artifex quæ stationis imperatoriae non erant, ut calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret. Scurrā deniq; & gladiatorē se perfectum ostenderet. Auspiciū crudelitatis apud Centumcellas dedit anno ætatis XII. Nam cum tepidus forte lætus esset, balneatorē in fornacē coniçi iussit. quādo à pædagoquo cui hoc iussum fuerat, ueruecina pellis in fornace cōsumpta est, ut fidē pœnæ de fœtore nidoris impleret. Appellatus est autē Cæsar puer cū fratre Seuero. XIII ætatis anno in collegium sacerdotis adscitus est. Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis cū togam sumpsit: adhuc in prætexta puerili congiariū dedit, atq; ipse in basilica Traiani præsedidit. Indutus autē toga est Nonarū Iuliarū die, quo in terris Romulus nō apparuit, & eo tempore quo Cassius à Marco descidit. Profectus est, cōmendatus militibus, cū patre in Syriā & Aegyptū, & cū eo Romā rediit. Post hæc uenia legis Annariæ impetrata, COSS. est factus: & cum patre imperator est appellatus v Cal. Decemb. die, Pollione & Apro COSS. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. Profectus est cū patre & ad Germanicū bellum. Adhibitos custodes uitæ suæ honestiores, ferre non potuit: pessimos quosq; detinuit, & submotos usq; ad ægritudinē desyderauit: quibus per patris mollicie restitutis, popinas & Ganeas in Palatinis semp diebus fuit. Neq; unq; pepercit uel pudori, uel sumptui. Hidonio aleam exercuit. Mulierculas formæ scitioris, ut prostibula mæcipia, perficiem lupanariū & ludibrium

brium pudicitiae cōtraxit. Imitatus etiam Propolas circūforaneos, equos Curules sibi cōparauit. Aurigae habitu currus rexit, gladiatorib⁹ cōiuxit, aquā gessit, ut Lebronū ministerijs probris natū magis, q̄ ei loco crederet, ad quē fortuna peruexit. Patris ministeria seniora summouit, Amicos senes abiecit. Filiū Saluī Juliani, qui exercitibus praerat, ob impudiciā frustra tentauit, atq; exinde Iuliano tetendit insidias. Honestissimos quosq; aut per cōtumeliā, aut per honorem indignissimū abiecit. Appellatus est à mimis quasi obstupratus, eosdemq; ita ut non apparent, subito deportauit. Bellum etiā quod pater penē confecerat, legibus hostiū addictus remisit, ac Romā reuersus est. Romā ut redit, subactore suo Autero post se in curru locato, ita triūphauit, ut eū Auterus ceruice reflexa publice oscularetur: etiā in Orchestra hoc idem fecit. Et cum potaret in lucē, eluereturq; turibus Romani imperij, uespera etiā per tabernas ac lupanaria uolitauit. Misit homines ad prouincias regendas, uel criminū socios, uel à criminosis cōmendatos. In Senatus odium ita uenit, ut & ipse crudeliter in tāi ordinis perniciē saeuiret, fieretq; contento crudelis uita Cōmodi. Quadratū & Lucillam cōpulsit ad eius interfectionē, consilia inire nō sine Praefec. prat. Tarruntini Paterni consilio. Datū autē est negociū peragenda necis Claudio Pōpeiano p̄pino: qui ingressus ad Cōmodū districto gladio, cū faciendi potestātē habuisset, in haec uerba prorūpens, Hūc tibi pugionē Senatus mittit: detexit facinus fatu⁹, nec impleuit, multis cū eo participātibus causam. Post haec interfecti sunt Pōpeianus primo & Quadratus: dein Narbana atq; Norbanus & Paralius, & mater eius Lucilla in exiliū exacta. Cum Praef. prat. uidiissent Cōmodū in tantū odiū incidisse, obtentu Auteri, cuius potentiā Praefec. ferre nō poterāt, urbane Auterū eductum à palatio sacrorū causa, & redeuntē in hortos suos, per frumētarios occiderūt. Id uero grauius q̄ de seipso Cōmodo fuit. Paternū autē & huius caedis autōrē: & quantū uidebatur, paratā necis Cōmodi consciū & interuentorē: ne coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio per laticlaui honorē, à praefectura administratione submouit. Post paucos dies insimulauit eum cōiurationis, cū diceret, ob hoc promissam Iuliani filio filiā Paterni, ut in Iulianū transferretur imperiū. Quare & Paternū & Iulianū & Vitruuiū secundo Paterni familiarissimū, qui epistolas imperatorias curarat, interfecit. Dom⁹ praeterea Quintiliorū omnis extincta, quod Sextus Cōdiciani filius, specie mortis ad defectionē diceret euasisse: interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus & Cenatius Capito consularis. In exilium autē acti sunt Aemilius, iunctus est Attilius Seuerus & COSS. & in multos alios uarie saeuitum. Post haec Commodus nunq̄ facile in publicum processit: neq; quicq; sibi nunciari passus, nisi quod Perhēnis ante tractasset. Perhēnis autē Cōmodi animū persciens, inuenit quēadmodū ipse potens esset. Nam persuasit Cōmodo, ut ipse delitijs uacaret, idē uero Perhēnis curis incūberet: quod Cōmodus latanter accepit. Hac igit̄ le

Latanter.

u 4 & balneas

Cubicularios opinor.

& balneas bacchabat. Inter hæc habitu uictimarij, uictimas immolauit: in arena rudibus inter scubularios gladiatores pugnavit, lucentibus aliquandò mucronibus. Tunc tamen Perhennis cuncta sibimet uindicauit: quos uoluit interemit, spoliari plurimos, omnia iura subuertit, prædã omnẽ in sinum contulit. Ipse aut Commodus Lucillam sororẽ, cum ea promississet, occidit, sororibus dein suis cæteris, ut dicitur, cõstupratis. Consobrina patris complexibus suis iniuncta, uiri etiam & concubinis matris nomẽ imposuit & uxoris. Quam deprehensam in adulterio exegit, exactã relegauit, & postea occidit. Ipsas cõcubinas suas sub oculis suis stuprari iubebat. Nec irruentium in se iuuenũ carebat infamia, omni parte corporis, atq; ore in sexum utrũq; pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius quasi à latronibus: cuius filius cum pugione quodam ad Commodũ ingressus est: multiq; alijs Senatores sine indicio interempti, foeminae quoq; diuites. Et nonnulli per prouintias à Perhenni ob diuitias infimulati, spoliati sunt, uel etiam interempti. His autẽ quibus deerat ficti criminis appositio, obijciebatur quod scribere uoluissent Commodũ hæredẽ. Eo tempore in Sarmatia res bene gestas per alios duces, in filium suũ Perhennis referebat. Hic tamen Perhennis qui tantũ potuit subito, quod bello Britanico militibus equestris loci uiros præfecerat: amotis Senatoribus, prodita re p legatos, exercitus hostis appellatus, lacerandusq; militibus est deductus. In cuius potetia locum Cleandrũ ex cubicularijs subrogauit. Multa sanẽ post interfectum Perhennem, eiusq; filium, quasi à se non gesta rescidit, uelut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiã scelerum ultra triginta dies tenere non potuit, grauiora per Cleandrum faciens, quàm fecerat per supradictum Perhennẽ. Et in potetia quidẽ Cleander Perhenni successerat. In præfectura uero Niger, qui sex tantum horis Præfec. præf. per horas ac dies Commodò peiora omnia q̃ fecerat ante faciente. Fuit autem Marcus quartus Præfec. præf. diebus quinq;. Horum successores ad arbitriũ Cleandri aut retenti sunt, aut occisi. Ad cuius nutum etiam Libertini in Senatũ atq; in Patricios lecti sunt: tũcẽ primũ uiginti quinq; Consules in unũ annũ, uenditãq; omnes prouinciã. Omnia Cleander pecunia uenditabat: reuocatos de exilio dignitatib; ornabat: res iudicatas rescindebat. Qui tantũ p stulticiã Cõmodi potuit, ut Byrrũ sororis Cõmodi uirũ rephendentẽ, nũciantẽq; Cõmodo quæ fiebant, in suspiciõnẽ regni affectati traheret & occideret: multis alijs q; Byrrũ defendebant pariter interemptis. Præfec. etiã Eburnianus inter hos est interemptus: in cuius locũ ipse Cleander cum alijs duobus quos ipse delegerat, Præfec. est factus. Tũcẽ primũ tres Præf. præf. fuere, inter quos Libertinus qui à pugione appellatus est. Sed & Cleandro dignus tandẽ uitæ finis impositus. Nam cũ insidijs illius Arius Antoninus fictis criminibus in Tali gratiam quẽ in procõsulatu Asiã damnauerat, esset occisus: nec eam inuidiam populo sæuiente Cõmodus ferre potuisset, plebi ad pœnã donatus est: cum etiã Aiolaustus, alijsq; liberti aulici pariter interempti sunt. Cleãder inter cætera etiã concubinas eius constuprauit, de quibus filios suscepit, qui post eius interitũ cum matribus interempti sunt. In cui; locum Iulianus & Regilius subrogati

rogati sunt. Quos & ipsos postea pœnis affect. His occisis, interemit Seruiliũ & Dulum Syllanos cum suis: mox Antiũ Lupum & Petronios, Mamertinũ & Syram, filiumq; Mamertium Antonianum ex sorore sua genitum. Et post eos sex simul ex consulibus, Allium Fuscum, Celium Felicẽ, Luceium Torquatum, Latium Eurupianũ, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnũ cum suis: atq; in Asia Sulpitiũ Crassum proconsulem, & Iuliũ Proculum cum suis, Claudiũq; Lucanũ consularẽ, & consobrinã patris sui Faustina Annia in Achaia, & alios infinitos. Destinauerat & alios quatuordecim occidere, cũ sumptus eius iniurijs Romani imperij sustinere non possent. Inter hæc Commodus Senatu semet tradente: cum adulterũ matris consulem designasset, appellatus est Pius: cum occidisset Perhennẽ, appellatus est Felix. Inter plurimas cædes multorum ciuiũ quasi quidam nouus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille felix. Finxisse etiã quandã contra se coniurationẽ dicitur, ut multos occideret. Nec alia ulla fuit defectio præter Alexandri, qui postea se & suos interemit, & sororis Lucilla. Appellatus est Commodus etiã Britãnicus ab adulatoribus, cum Britãni etiã imperatorem contra eum deligere uoluerint. Appellatus est etiã Romanus Hercules, quod feras Lanuuiũ in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc consuetudo, ut domi bestias interficerent. Fuit præterea ea dementia, ut uerben Romam, coloniã Commodianã uocari uoluerit: cui furor dicitur inter delinimenta Martiã iniectus. Voluit etiã in Circo quadrigas agitare. Dalmaticus in publico processit, atq; ita signum quadrigis emittendis dedit: & eo quidem tempore, quo ad Senatũ reuult de Commodiana facienda Roma. Nõ solum Senatus hoc libenter accepit per irrisionem, quãtum intelligitur, sed etiã seipsum Commodianũ uocauit, Commodum Herculem & deum appellans. Simulauit se & in Africam iturum, ut sumptum itinerarium exigeret: & exegit, eũq; in conuiuia & aleam conuertit. Motilenum Præfec. præf. per ficus ueneno interemit. Accepit statuas in Herculis habitu, eiq; immolatum est ut deo. Multos præterea parauerat interimere, quod per Prauolum quendam proditum est, qui tabulam cubiculo eiecit, in qua occidendorũ erant nomina scripta. Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret. Bellonæ seruentes uere execrare brachium præcepit studio crudelitatis. Isiacos uero pineis usq; ad pernitiam pectus tundere cogebat, cum Anubin portaret. Capita Isiacorũ grauius obtundebat ore simulacri. Claua nõ solum leones in ueste muliebri & pelle leonina, sed etiã multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos qui ambulare nõ possent, in Gigantum modum formauit, ita, ut ab agentibus de pennis & linteis quasi dracones detegerentur, eosdemq; sagittis confecit. Sacra Mythriaca homicidio uero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris uel dici, uel fingi soleat. Etiã puer & gulosus, & impudicus fuit. Adolescẽs omne genus infamauit hominũ quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. irridetes se feris obijciebat. Eum etiã qui Tranquilli librum, uitam Caligulæ continentem legerat, feris obijci iussit: quia eundem diem natalis habuerat quẽ & Caligula. Siquis sane se mori uelle prædixisset, hũc inuitum præcipitari iubebat. In iocis quoq;

Prodigiola
infania.

Mythriaca
sacra.

quoque perniciosus. Nam eum quem uidisset, albescentes inter nigros capillos quasi uermiculos habere: sturno appposito, qui se uermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. Obtonsi oneris pinguem hominem medio uentre dissecit, ut eius intestina subito funderentur. Monopodios & luscimos eos, qui aut singulos tulissent oculos, aut singulos pedes fregissent, appellabat. Multos praeterea passim extinxit: alios quia Barbarico habitu occurrerant: alios quia nobiles & speciosi erant. Habuit in delictis homines appellatos nominibus uerendorum utriusque sexus, quos libentius suis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente ultra modum animalium, quem Onon appellabat, sibi charissimum: quem & ditauit, & sacerdotio Herculis rustici praeposuit. Dicitur saepe preciosissimis cibis humana stercorea miscuisse, nec abstinuisse gustu, alijs, ut putabat, irrisit. Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusus exhibuit, eosdemque statim promouit ac ditauit. Praefecit praet. suum Iulianum togatum praesente officio suo in Pircinam detrusit. Quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit quatiente cymbala, deformato uultu. Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxuriae continuationem reuocauit. Lauabat per diem septies atque octies: & in ipsis balneis aedebat deorum templa, pollutus stupris & humano sanguine. Imitatus est & medicum, ut sanguinem hominibus emitteret scalpris feralibus. Menses quoque in honore eius pro Augusto Commodum, pro Septembri Herulem, pro Octobri Inuictum, pro Nouembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium ex signo ipsius adulescentes uocabant. Amazonius autem uocatus est ex amore concubinae suae Martiae, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in harenam Romanam procedere uoluit. Gladiatorum etiam certamen subiit: & normia gladiatorum recepit eo gaudio, quasi acciperet triumphalia. Ludum semper ingressus est: & quoties ingrederetur, publicis monumentis indiussit. Pugnassem autem dicitur septingentes tricies quinquies. Nominatus inter Caesares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominauit, Pudente & Pollione consulibus. Appellatus Germanicus Idibus Herculeis, Maximo & Orophito consulibus. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos XIII Calendas Inuictas, Pisone & Iuliano consulibus. Profectus in Germaniam XIII Calendas Aelias, ut postea nominauit, iisdem consulibus. Togam uirilem accepit cum patre, appellatus imperator V Calendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro consulibus. Triumphauit X Calendas Ianuarias, iisdem consulibus. Iterum profectus III Nonas Commodias, Orophito & Ruffo consulibus. Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu in domo Palatina Commodiana, conseruandus XI Calendas Romanas, praesente iterum consule Tertio. Meditans de profectioe, a Senatu & populo suo retentus est. Vota pro eo facta sunt Nonis Prijs, Fusciano iterum consule. Inter haec refertur in literas pugnassem illum sub patre trecentis sexages quinquies. Item postea tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, uel uictis retiarijs, uel occisis, ut mille contingeret. Ferarum autem diuersarum manu sua occidit multa milia, ita, ut Elephantos occideret. Et haec fecit saepe spectante populo Romano. Fuit autem ualidus ad haec, alias debilis & infirmus, uicio etiam

Normia.

inter

inter inguina prominenti, ita, ut eius tumore per fericas uestes populus Romanus agnosceret. Versus in eum multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut Elephantum conto transfigeret: & Origis cornu hasta transmiserit: & singulis ictibus multa milia ferarum ingentium conficeret. Impudentia tanta fuit: ut cum muliebri ueste in amphitheatro, uel theatro sedens, publice sapissime biberit. Victi sunt sub eo tamē, cum ille sic uiueret, per legatos Mauri, uicti Daci. Pannonia quoque composita, in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recusantibus provincialibus. Quae omnia ista per duces sedata sunt. Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita, ut libellis una forma multis subscriberet: in epistolis aut plurimis, Vale tantum scriberet. Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinu uertisse dicuntur. Per hanc autem negligentiam, cum & annonam uastarent hi, qui tunc Rempublice gerebant, etiam inopia ingens Romae exorta est cum fruges non deessent: & eos quidem qui omnia uastabant, postea Commodus occidit atque proscripsit. Ipse uero seculum aureum Commodianum nomine assumulans, uilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Multi sub eo & alienam poenam, & suam salutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diuersitates, & sepulturas, & imminutiones malorum: & alios pro alijs occidit. Vendidit etiam prouincias & administrationes: cum hi per quos uenderet, partem acciperent, partem uero Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum suorum caedes. Vendiderunt sub eo etiam euentus litium liberti. Praefectos Paternum & Perhennem non diu tulit: ita tamē, ut etiam de his praefectis, quos ipse fecerat, triennium nullus impleat: quorum plurimos interfecit uel ueneno uel gladio. Et praefectos urbi eadem felicitate mutauit. Cubicularios suos libenter occidit, cum omnia ex nutu eorum semper fecisset. Electus cubicularius cum uideret eum tam facile cubicularios occidere, praenit eum, & factioni mortis eius interfuit. Spectator gladiatoria sumpsit arma, panno purpureo nudos humeros aduelans. Habuit praeterea morem, ut omnia quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonice faceret, actis urbis indi iuberet, ut Marij Maximi scripta testantur. Commodianum etiam Praetor dixit, quo sapissime praesente gladiator pugnauit. Sanē cum illi saepe pugnantem, ut deo populus fauisset: irrisum se credens, populum Romanum à militibus classarijs, qui uela ducebant, in amphitheatro interimi praeeperat. Urbem incendi iusserat, utpote coloniam suam. Quod factum esset, nisi Latus praefecit praetor. Commodum deteruisset. Appellatus est sanē inter caetera triumphalia nomina etiam sexcenties uicies, Paulus primus secutorum. Prodigia eius imperio & publice, & priuatim haec facta sunt, Crinita stella apparuit, Vestigia deorum in foro uisa sunt exeuntia. Et ante bellum desertorum caelum arsit: & repentina caligo ac tenebra in circo, Caendis Ianuarijs oborta est & ante lucem. Fuerant etiam incendiariae aues, ac dira de palatio. Ipse ad Celium montem in Vestilianas aedes migravit, negans se in palatio posse dormire. Ianus geminus sua sponte apertus est: & Anubis simulacrum marmoreum moueri uisum est. Herculis signum aeneum sudauit in minutia per

Transmisit
hasta.

In sinu uer-
tisse, uide an
legendū sit
uertisse.

tia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum eius deprehensus est, tam Romæ quam Lanuuij. Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam cum in gladiatoris occisi uulnus manum misisset, ad caput sibi deterfit: & cōtra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, nō togatos ad munus conuenire: quod funebribus solebat, ipse in pullis uestimētis præsidens. Galea eius bis per portam Libitinensem elata est. Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos uicenos quinos: circa alios omnes parcissimus fuit. Quod luxuriæ sumptibus ararium minueret, Circēses multos addidit ex libidine potius, quàm religione, & ut dominos factionū ditaret. His incitati, licet nimis sero, Quintus Aelius Lætus præfec. & Martia concubina eius, inierunt coniurationē ad occidendū eum. Primum ei uenenū dederunt: quod cum minus operaretur, per Athletam cum quo exerceri solebat, eum strangularunt. Fuit forma quidem corporis iusta: uultu insubido, ut ebriosi solent, & sermone incondito: capillo semper fucato, & auri irradiamenti illuminato, adurens comā & barbam timore tonsoris. Corpus eius ut unco traheretur, atq; in Tyberim mitteretur, Senatus & populus postulauit. Sed postea iussu Pertinacis in monumentū Hadriani trāslatum est. Opera eius præter lauacrū, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extāt: sed nomen eius alienis operibus incisum, Senatus erasit. Nec patris autē sui opera perfecit. Classē Africanam instituit: quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent. Ridicule etiam Carthaginem, Alexandriam, Commodianā togatā appellauit: cum classē quoq; Africanā, Commodianā Herculeā appellasset. Ornamenta sanè quædam Colosso addidit, quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita, ut illum gladiatorium effœminatum nō prætermitteret. Hunc tamen Seuerus imperator amātissimus nominis sui, odio ut uideretur Senatus, inter deos retulit, flamine addito, quem ipse uiuus sibi parauerat. Herculeo Commodiano sorores tres superstites reliquit. Ut natalis eius celebraretur, Seuerus instituit. Acclamationes Senatus post mortē Commodi graues fuerunt. Ut autem sciretur quod iudiciū Senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de M. Maximo indidi, & sententiā Senatuscōsulti: Hosti patriæ honores detrahātur: paricidæ honores detrahantur: paricida trahatur. Hostis patriæ: paricida gladiator, in spoliario lanietur. Hostis deorū, carnifex Senatus. Hostis deorū, paricida Senatus: hostis deorū, hostis Senatus: gladiatorem in spoliario. Qui Senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui Senatū occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit, unco trahatur: hostis, paricida uere seuerē. Qui sanguini suo nō pepercit, unco trahatur. Qui te occisurus fuit, unco trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Ut salui simus Iuppiter optime maxime, serua nobis Pertinacē: fidei Prætorianorū feliciter: Prætorijs cohortibus feliciter, Exercitibus Romanis feliciter, Pietati Senatus feliciter. Paricida trahat. Rogamus Auguste paricida trahat. Hoc rogamus, paricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonē, exaudi Cæsar. Speratū ad leonem. Victoriæ populi Ro. feliciter. Fidei militū feliciter. Fidei Prætorianorū feliciter. Cohortibus

Mira accla/
mandi ratio.

Cohortibus prætorijs feliciter. Hostis statuas undiq; paricidæ statuas undiq; gladiatoris statuas undique, gladiatoris & paricidæ statuæ detrahantur. Necator ciuium trahatur, paricida ciuium trahatur, Gladiatoris statuæ detrahantur. Te saluo, salui & securi sumus, uere, uere; modo uere, modo digne; modo uere, modo libere. Nūc securi sumus, delatoribus metum. Ut securi simus, delatoribus metum: salui simus, delatores de senatu. Delatoribus fustem te saluo. Delatores ad leonē te imperatore. Delatoribus fustem. Paricidæ gladiatoris memoria aboleatur, paricidæ gladiatoris statuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur, gladiatore in spoliario. Exaudi Cæsar. Carnifex unco trahatur. Carnifex senatus more maiorum unco trahatur. Sæuior Domitiano, impurior Nerone, sic fecit, sic patiat. Memoria innocentium seruentur, honores innocentium restituas. Rogamus, paricidæ cadauer unco trahatur, gladiatoris cadauer unco trahatur: gladiatoris cadauer in spoliario ponatur. Præroga, præroga, omnes censum unco trahendum. Qui omnes occidit, unco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, unco trahatur. Qui utrunque sexum occidit, unco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui templa spoliavit, unco trahatur. Qui testamenta deleuit, unco trahatur. Qui uiuos spoliavit, unco trahatur. Seruis seruiuimus. Qui precia uitæ exegit, unco trahatur. Qui precia uitæ exegit, & fidem non seruauit, unco trahatur. Qui senatum uendidit, unco trahatur. Qui filijs abstulit hæreditatem, unco trahatur. Indices de senatu, delatores de senatu, seruorum subornatores de senatu, & tu nobiscum timuisti, omnia scis, bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda, pro te timuimus. O nos felices te uiro imperante. De paricida refer, refer, perroga, præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt. Paricidæ cadauer trahatur. Paricida sepulto seruit. Paricidæ cadauer trahatur. Et cum iussu Pertinacis Liuius Laurentis procurator patrimonij, Fabio Chiloni consuli designato dedisset: per noctem Commodi cadauer sepultum est. Senatus acclamauit, quo autore sepelierunt: Paricida sepultus seruatur, trahatur. Cingius Seuerus dixit iniuste sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dici: quoniam Latam percensui. Non conuertar ad necessaria, Censeoque, is qui non nisi ad perniciem ciuium, & ad dedecus suum uiuit, ob honorem suū decerni cœgit. Abolendas statuas, quæ undiq; sunt abolendæ, nomenq; ex omnibus priuatis, publicisq; monumentis eradendū. Mensesq; his nominibus nūcupandos quibus nūcupantur, cum primū illud malū in republica incubuit.